

INCIPIT EPISTOLA II SIXTI PAPAE UNIVERSIS ECCLESIIIS DIRECTA

31r

Sixtus universalis apostolicae ecclesiae episcopus omnibus episcopis in domino salutem .

1

5 Cognoscat vestra sapientia, carissimi fratres, quia in hac sancta apostolica sede a nobis et reliquis episcopis ceterisque domini sacerdotibus statutum est, ut sacra vasa non ab aliis quam a sacratis dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra domini vasa, quaecumque sint, humanis usibus serviant, aut ab aliis quam a domino famulantibus eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus praesumptionibus iratus dominus plagam imponat populo suo, et hi, qui etiam non peccaverunt, mala patiantur aut pereant, quia perit iustus saepissime pro impio. Attendite, fratres, ne talia vestris in ecclesiis permittatis deinceps fieri, ne grex pretioso sanguine Christi redemptus in praecipitium, quod absit, ruat. Propter quod assumite armaturam dei, ut possitis resistere his, qui contradicunt veritati, et induite vos lorica iustitiae, calciati pedes in praeparatione evangelii pacis.

2

15 Si quis vero vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam et apostolicam appellet sedem et ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut ecclesia sua detrimentum patiatur. Si autem necesse ei evenerit eamque appellare minime ausus fuerit, et vocatus tamen ab hac sancta sede fuerit, non renuat venire, sed confestim, ut ei nuntiatum fuerit, venire festinet, et causas, pro quibus vocatus est, prudenter disponat, atque, si necesse aliquid corrigere fuerit, cum his, quos hic primos invenerit, corrigat. Ad ecclesiam tamen suam non prius revertatur, quam hinc litteris apostolicis vel formatis pleniter instructus atque purgatus, si fuerit unde, et, postquam domi reversus fuerit, cognoscant vicini sui, qualiter huc sua aliorumque causa discussa fuerit, quatenus eam absque aliqua ambiguitate nuntiare et praedicare omnibus possit. Ab hac enim sancta sede a sanctis apostolis tueri, defendi et liberari episcopi iussi sunt, ut, sicut eorum dispositione ordinante domino primitus sunt constituti, sic huius sanctae sedis, cuius dispositioni eorum causas et iudicia servaverunt, protectione futuris temporibus sint ab omnibus perversitatibus semper liberi. Unde culpantur hi, qui aliter circa fratres egerint, quam huius sedis rectoribus placere cognoverint.

3

31v

20 His taliter consideratis atque cum reliquis episcopis decretis tamquam omnium curam gerentes propter sedis propriae apicem decernimus, ut nemo pontificum aliquem suis rebus exspoliatum episcopum aut a sede pulsum excommunicare aut iudicare praesumat, quia non est privilegium, quod exspoliari possit iam nudatus. Si quis autem aliter agere praesumpserit, sciat censuram huius sedis cum omnibus membris suis sibi non deesse venturam et, sicut egerit, ita recipiet. Si bene bene, si grave grave, si pessime pessime, quoniam dignus est operarius mercede sua. Nos, fratres, nullum perdere volumus, sed ipse se perdit, quia pia considerata avertit, et qui apostolorum et huius sanctae sedis decreta libenter violat.

4

35 Sed nunc, fratres, commendamus vos omnes domino et verbo gratiae eius, qui potest perficere et dare hereditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem deus pacis et consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, ut vobis invicem succurratis et non sitis divisi, ut unanimes uno ore et uno corde honorificemus

5

45

2 episcopus] corrected from episcopis 17 appellet] corrected from appellat 19 ausus] added 23 hinc] corrected from hic 25 discussa] added 31 aliter] corrected from qualiter 36 possit] added 44 sapere] added

eum in concordiam et consolationem fratrum, qui potens est confirmare nos secundum evangelium eius, iuxta revelationem mysterii aeterni temporibus scilicet perpetuis, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera.

6      Data VIII Kl. Aprilis Adriano et Vero cc. cons.